

**Dissertatio medica inauguralis, de typho ... / Eruditorum examini subjicit
Ricardus Heald.**

Contributors

Heald, Richard.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat C. Stewart, Academiae Typographus, 1804.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pakkzqnz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

DISSERTATION

IN

THE

T. P. H. O.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

RICARDUS HEALD,

ANGLUS;

LYC. MED. LOND. SOC. EXTR.

Tunc nec mens mihi, nec color

Certâ sede manet ———

——— *arguens*

Quam——penitus macerer ignibus.

Hor.

Ad Diem 25 Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDERAT C. STEWART

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

1804.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

PATRI

RICARDO HEALD ARMIGERO ;

NEC NON

FRATRI

GEORGIO HEALD, A. M.

IN CANCELLARIÆ CURIA JURISCONSULTO,

RICARDUS HEALD

S.

Tibi, pater plurimùm honorande, cui cuncta debeo, sollicitam propter curam quã teneros annos fovisti, et propter consilium, quo in omni studiorum vel ad literas vel ad medicinam pertinentium curriculo me adjuvasti, hoc opusculum, qualecunque sit, animi grati atque omni officio devincti, monumentum consecro :

Tibi etiam, frater carissime, cujus animum amicissimum versus me nunquam non expertus sum, hasce laborum primitias, summã observantiã, et amore fraterno, dicatas esse volo.

1871

RICHARD HENRY ARNOLD

NEW YORK

1871

GEORGE HENRY ARNOLD

NEW YORK

RICHARD HENRY ARNOLD

1871

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

VIRO PRÆCLARISSIMO

JACOBO GREGORY, M. D.

IN ACADEMIA EDINENSI

MEDICINÆ PRACTICÆ PROFESSORI;

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINBURGENSIS

PRÆSIDI;

REGISQUE IN SCOTIA SUMMO MEDICO;

HANCCE DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

ANIMO, BENEFICIORUM CONSILIORUMQUE

IN STUDIIS MEDICIS EXCOLENDIS,

ET VALETUDINE INFIRMA CONFLICTANTI CURARUM

MEMORI,

DICAT CONSECRATQUE

AUCTOR.

Nec quisquam hominum, tam firmâ valetudine,
tantoque corporis robore, gaudet, quin, causis qui-
busdam excitantibus admotis, gravissimos morbos susci-
piat.

Greg. Conspect. med. theor.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

AUCTORE RICARDO HEALD.

PAUCI existunt morbi, qui majorem curam sibi vindicant, quàm affectio, quæ Typhus dicitur, quòd gravissimus plane infestissimusque humano generi morbus sit, quòdque omni ætate, omni ferè temperie cæli, omnibus denique temporibus locisque dominetur, varietate pænè infinitâ.

Describitur autem his verbis à Culleno;
“ Morbus contagiosus; calor parùm auctus;
“ pulsus parvus, debilis, plerumque frequens;
“ urina parùm mutata; sensorii functiones
“ plurimùm turbatæ, vires multùm immi-
“ nutæ.” Tot existunt ipsius typhi genera in-
A terque

terque se tantum distantia, quod morbus multiplex et varius, definitione quâvis accuratâ concludi vix possit. Has igitur varietates, mali historiam tradendo, ut fusiùs paulò et latiùs exequamur oportet.

HISTORIA.

Ineunte malo, extremas totius corporis partes frigus urget, quod rigor et calor alternis vicibus, vesperi præsertim, excipiunt. Debilitas simul adest generalis, cujus indicia sunt, languor, lassitudo, dorfi et lumborum dolor, manuum capitique tremor, torpor manuum crurumque, cibi appetentia insigniter minuta, nausea, vomitio interdum pituitosa, arteriarum ictus solito frequentiores, vertigo, lingua muco albido et viscido obducta, somnusque turbatus, qui nullam ægritudinis levationem adfert.

Hoc ferè tempore, æger se negotium facessere parùm valere sentit.

Signa

Signa jam memorata, dies modò plures, modò pauciores, plerumque verò quatuor quinque aut sex perstant. Febris jam ingravescit, et debilitas usque èo tandem augetur, ut æger corporis sui pondus sustinere non valeat.

Facies pallefcit, capitis, dorsi, lumborum, omniumque articulorum majorum, dolor intenditur. Cerebri munera haud parùm turbantur, spiritus fit difficilis, cum crebris fufpiriis, et gravi quodam et angustiae pectoris sensu ægrè ducitur. Urina variam speciem exhibet, modò pallidam et limpidam, modò subrubram, cerevisiæ veteri haud absimilem, sæpe nubeculas quasi innatantes habet, facem verò deponit nullam.

Cutis est plerumque arida, sudore autem gelido modò diffluit, modò præter naturam calet, modò tenuem humorem exsudat. Arteriarum pulsus est nunquam ferè non frequens, debilis

debilis et abnormis, est autem, ubi insigniter, tardus est et intermittitur.

Alvus ferè comprimitur, ejus autem conditio ex aërum mutationibus pendere videtur.

Si aër humidus atque frigidus fuerit, diarrhœa haud rarò superveniet, et vice versâ.

Hic alvi fluxus, appropinquante morte, vires vehementer exagitat, mutaturque in proluviem tetram, sanguineam, odoris cadaverosi, quæ ex debilitate provenire videtur.

Surditas levis morbi initio sæpe adest, quo progrediente, augetur, auditusque interdum ferè deletur.

Alvus die morbi nono, decimo, aut duodecimo paulò laxior evadit, et materiam tenuem præter folitum graveolentem, urgente simul magnâ anxietate, petechiarum prænunciâ, dejicit,

cit, quæ, teste auctore egregio *, typhum plerumque, non semper, comitantur.

Fracastorius † hanc cutis eruptionem, quam, lenticulas, puncticulas, seu peticulas dicit, primus observâsse fertur.

Hæ maculæ pectus, dorsum et humeros præcipuè occupant; artus superiores et inferiores interdum invadunt; faciem rarissimè; eminent nunquam; sæpe leviculam tantum eruptionem exhibent, sunt plerumquè subrubræ, et admirabilitèr confluunt. Specie autem interdum variantur, modò enim pallidæ, modò fuscæ, modò lividæ, ideoque non nisi accuratè intuentibus semper videri possunt. Eruptionis tempus sæpe variatur; nam ubi fudor copiosus fit maturè, die etiam quarto vel quinto apparet: sed quoties cutis ficca manet, et

* Pringle.

† De Morbis contagiosis, lib. 2. cap. 6.

et præfertim cum alvus ab initio præter solitum compressa fuerit, non nisi die decimo quarto vel quinto se ostendit.

Quin et scriptor ille†, quem jam antea laudavi, hæc phenomena, in quibusdam exemplis, etiam post mortem evenisse narrat.

Progrediente morbo, notæ colore vario, partim purpureo, partim livido interstinctæ, vibicum instar, hic illic infra cuticulam sparguntur, et in corporis partibus pressui opportunioribus, ad gangrænæ naturam sæpe accedunt, in ulcera immedicabilia interdum abituræ.

Altera quoque eruptio, quæ milio componitur, haud rarò nota fuit; hæc non nisi post longam sudationem (per quam petechiæ aliquandiu evanescunt) se ostendit, nec pro indicio malo habetur.

Parotidum

† Pringle.

Parotidum, maxillarum, fimilesque aliarum partium, glandulas sæpe tumuisse, et etiam suppurasse, à quibusdam observatum est.

Scriptor autem, quem potissimum sequor*, has glandulas rarò aut nunquam in suppurationem abire, auctoresque, qui in illam opinionem concesserunt, tumore glandularum lymphaticarum, quæ in regione sunt, in errorem inductos fuisse, dicit.

Hoc morbi tempore, tum animi, tum corporis vires magis magisque franguntur; arteriarum pulsus tremuli, admodum debiles, et adeò crebri fiunt, ut vix numerari possint.

Urina colorem ex subfusco rubescentem et quasi sanguine tinctum, induere observatur. Morte appropinquante, corporis extrema frigescent, ungues lividi et adunci fiunt; urina et
fæces

* Pringle.

fæces deveniunt ægro invito, omnes sensus labescunt. Nihil neque oculis neque auribus, lucis et soni licet antea impatientibus, jam percipi potest; tendinum subsultus augentur; delirium in stuporem definit; arteriarum ictus cessant; et æger è vivis eripitur.

Tempus, quod dira hæc affectio durat, est admodum varium, ex signorum enim lenitate vel gravitate potissimum pendet; modò die quinto aut sexto finitur; modò in totidem septimanas producit; die autem decimo septimo plerumque terminatur.

PROGNOSIS.

Hæc medicinæ pars plerumque conjecturalis est, judicium enim de mali eventu, non nisi signis, tum mitioribus, tum gravioribus accuratè perpensis, fieri potest.

Quædam

Quædam ex phenomenis de quibus inter medicos eruditissimos maximè convenit, quæque majus exitûs præfagio lumen offundunt, felicia primùm, deinde infauſta ostendam.

Eventum faustum prænunciant, signorum molestiorum remissio, cibi appetentia, somni-que reditus, fuscus eruptionis color in rubrum mutatus, surditas levis, vox eadem quæ in sanitate (vocis enim mutatio maximæ debilitatis indicium est,) lingua humida et munda, diarrhœa lenis et fellea, capitis dolorem levans, quæ res exitum felicem significare perhibetur.

Urinæ fluxus, præter consuetudinem magnus, quanquam fides illi non semper adhibenda, morbum solvere fertur. Sudor maturus, quarundam corporis partium aut omnium, fere reprimendus est, præsertim si eruptio milium referens adfit.

Denique, si arteriæ vini usu plenius atque tardiùs micent, bonum est.

Contrà, ingravescentis morbi indicia sunt, delirium grave; debilitas insignis, cujus notæ sunt magna spirandi difficultas, tendinum subfultus, singultus, omnium membrorum tremores, et omnia signa vis nervosæ imminutæ, arteriarum pulsus parvi, imbecilli et compressu faciles, vertigo, in dorsum cubatio, ad imam lecti partem delapsus, genibus simul sursum flexis, alter oculorum, testantibus Hippocrate et Celso, altero major, incerti visûs vitia, fitis inexplibilis, convulsiones, arteriæ tardiùs micantes, stupor nullis stimulis vincendus, cutis ficcitas, urina ex colore rubicundiore in pallidum mutata; hæc omnia, quippe magnam debilitatem indicantia, denunciant mortem.

Si glutiendi difficultas adfit, et os simul spumas agat, si petechiæ nigruerint, et hæmorrhagiam copiosam materiæ nigræ vomitio comite-

tur;

tur ; si fæces invitè dejiciantur, ægerque stragulaprehendat, et maculas nigricantes oculis oppositas queratur ; si arteriæ frequentissimæ, itemque abnormes sint ; si denique corporis extrema subitò frigescant, frustra est quod medicus ad lethalem mali cursum sistendum fecerit.

Cautissimè autem de mali eventu judicium feratur oportet, mitissima enim typhi forma interdum in gravissimam, præter omnium opinionem, mutatur ; quod autem cum indiciis periculosis instat malum, nonnunquam felicem exitum habere notum est.

DIAGNOSIS.

Synochum et typhum non specie, sed signorum varietate inter se distare, hanc autem diversitatem ferè ex diverso corporum habitu pendere, inter omnes ferè hodiernos medicos jam convenit.

Cognitione

Cognitione autem dignissima sunt, sub primum morbi accessum, ægrotantis mores, vitæ genus, corporis habitus et morbi causa.

His nimirum perspectis, de specie peculiari fit plerumque judicium. Typhus a febre intermittente, hoc ipso, quòd illa nec intermittatur, nec ex miasmate paludum oriatur, facilè dignoscitur.

Debilitas, quâ typhus innotescit, arteriarum scilicet, et cerebri, viresque mirum in modum diminutæ; eandem à synochâ fatiè facilè fecerunt.

Ille autem *, de quo antea dixi, scriptor clarissimus, manuum tremorem signum typhi proprium esse notat.

Prætereo multa, quæ quanquam typho signorum ordine similia, ab illustri Cullenò notis
tamen

* Pringle.

tamen certissimis tam accuratè definiuntur, ut rei nosologicæ peritis nullum ferè negotium faceßere possint.

CAUSÆ REMOTÆ

Nimirùm eæ sunt quas prædisponentes, dicimus, et occasionales seu excitantes : per illas intelliguntur omnia, quæ corpus typho opportunum reddunt ; hae significant id quod homini jam accommodato ad malum excitat morbum.

Causæ prædisponentes sunt quotquot corpus debilitant, qualia sunt, cæli intemperantia, calor ardens, vel frigus vehemens, ingluvies, ebrietas frequens, venus nimia, ignavia, diæta nimis parca et tenuis, exinanitiones magnæ, sive sanguinis sive aliorum corporis humorum, qualis est nimia alvi purgatio, vehementiores animi affectus, nimirùm, metus, ira, anxietas et zelotypia, quam Poëta optimè descripsit :

“ But

“ But fruitless, hopeless, disappointed, rack’d

“ With jealousy, fatigu’d with hope and fear,

“ Too serious, or too languishingly fond,

“ Unnerves the body, and unmans the soul *.”

His causis accenferi debent vigiliæ, magna animi seu corporis defatigatio, tempestates calidæ, quæ omnia hominem morbo accommodant.

Non defunt autem, qui debili scilicet corporis habitu, in typhum, nullâ prædisponente causâ, inciderunt.

Typhus hydrope vel phthisi laborantes rarò aut nunquam adoritur.

Homines etiam habitu corporis scorbutico (sic enim scriptum video†) typho opportuni rarò existunt.

Proinde

* Armstrong on Health, book 4. line 365.

† Lind.

Proinde malum in pauperes ob diætam tenuem, omniumque vitæ solatiorum inopiam tantâ vi incumbere videtur et ingravescere.

Causa excitans sola, ut inter omnes medicos jam convenit, mephitis quædam ex hominum corporibus, nasci videtur.

Hic halitus in locis clausis à vento, ob flatûs salubrioris defectum, venenatus fit; locis autem excelsis aut apertis cum aëre commiscetur et diluitur, et fit innocuus.

Multi quidem auctores celeberrimi typhum non nisi contagio humano excitari asserunt.

Medicus autem præclarus *, febrem flavam malignam, quæ non ita pridem inter Americanos Philadelphiæ grassata est, et typhi *φασ-
γομενων* magnâ ex parte similem, coffeæ
putrescentis

* Rush on the bilious yellow fever.

putrescentis exhalatione excitatam fuisse, contendit.

· Complura quidem typhi exempla literis mandantur, de quibus dubitari nullo modo potest, quin halitus iste pestiferus, aëre, contactu, iisque, quos dicunt medici fomites, deferatur atque vulgetur.

· Virgilius lethalem cæli intemperiem quæ magnam, pecudum atque piscium stragem, ededit, sic memorat :

“ Hic quondam morbo cæli miseranda coorta est

“ Tempestas, totoque autumnu incanduit æstu,

“ Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,

“ Corripuitque lacus, infecit pabula tabo.*.”

Quantum mali è malo laborantis contactu oriatur, exemplis abundè patet.

Quoad

* Virgil. Georgic. lib. 3. l. 478.

Quoad pestilentem corporis humani exhalationem, quæ typhum certissimè concitat (quæ ex majore tetri copiâ in minus spatium condensatâ pendere videtur) nosocomia et carceres nostri, propter ægrorum coarctationem et fordes, plura exempla suppeditant.

Est, qui malum, de quo agitur, ex corporis humani quovis morbo affecti exhalatione, oriri posse existimat.

Contagium domûs muris et supellectili adeo sese infinuat, ut nullâ curâ purgari possint, malumque iterum, iis qui proclivitatem habent, propriâ formâ renascatur.

Quo tempore, vires suas plenè contagio proferat, omninò constituere non possum; modo citiùs, modò tardiùs solet se exhibere; citiùs nimirum in conclavibus, ubi justò plures congregantur, ob mutatam aliquâ de causâ contagionem; hoc autem, rariùs licet, interdum

evenire plurimi scriptores docent. Quamvis contagio causa excitans typhi sola sit, morbum tamen, non nisi ad eum jampridem proclivibus, concitare posse videtur; complures, enim, in locis, ubi morbi pestiferi grassantur, non ægrotant.

Ille animi motus, cui nomen est timor, ad excitandum typhum plurimum potest.

CAUSA PROXIMA.

Hoc nomine causam significo illam, unde cunctæ notæ typho propriæ nascuntur. Omnia autem ab optimis viris de causâ proximâ scripta, quippe incerta nullisque fundamentis constituta, et si quid ejusdem generis inter recentiores fuerit, jam pridem vetustate oppressa sunt.

Hoffmannus generis nervosi spasmus proximam febris causam esse posuit; hanc autem sentiam

tentiam auctam emendatamque celeberrimus Cullenus amplexus est ; cùmque *φαινομένων* rationem omnium aliarum, me iudice, optimam reddat. Causas febrium remotas, vi quâdam sedativâ ad systema nervosum admotâ, cerebri vires imminuente, originem deducere, Cullenus docuit, et hoc modo vasorum extremorum spasmus inducitur. Talis autem est humani corporis fabrica, ut debilitas hujusmodi vasa sanguifera stimulat, et hinc, studio frigoris interposito, spasmusque inducto, actio cordis et articularum augetur, et perstat, donec vim cerebri in statum pristinum reduxit, et spasmum devicit, in superficiem corporis eo modo sudorem adducens,

Peculiaris quædam esse videtur corporis, certoque nomini vix describenda, conditio, quæ, cum debilitate ad phænomena febris cienda, conspirat ; nam hydrope et phthisi laborantes rarò in febrim incidunt.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

Debilitas ingens, quâ typhus insignitur, ex vi cerebri minutâ pendere videtur. Sitis partim è consensu summo et conjunctione, quæ ori cum ventriculo est, et partim salivæ defectu, oriri videtur.

Urinæ et alvi dejectiones invitæ ex debilitate, et aliquando sphincterum forsan paralyfi proveniunt.

Spiritus fætores è quodam sanguinis vitio, et petechias ex nimio corporis calore, pendere judicamus.

Delirium in hoc morbo ex vi cerebri ultra sanitatis normam minutâ plerumque exoritur, et curationem longe aliam, quàm quæ in diathesi phlogistica postulat.

CURATIO.

CURATIO.

Jam ad illam rei partem, quæ maximi momenti est, ad pristinam, nimirum, sanitatem hoc malo laborantibus restituendam devenimus, quo animo Cullenus noster tria sequentia generalia medendi consilia instituit.

1. Renixûs violentiam reprimere.
2. Debilitatis causas tollere, et effectibus ejus occurrere, et
3. Humorum proclivitatem in putredinem corrigere.

Primum fûadet, ut vitentur omnia, quæ corpus et animum ultra modum stimulant; qualia sunt calor nimius, lux, strepitus, loquela, cibus nutriens et nimis stimulans, ex carnibus præfertim

præfertim constans, potus fortior, (cujus generis cerevisia est,) exercitatio corporis et animi, fitis et alvi durities: hæc omnia corpus ultra modum irritant et calefaciunt, neque ut de eorum naturâ ulterius agamus necesse est.

Justa harum rerum curatio regimen antiphlogisticum apud medicos habetur. Quin et alia renixûs violentiam reprimere remedia possunt. Cujusmodi sunt auxilia quædam interna, quæ humorum cursum ad corporis extrema urgent, atque adeo spasmus vasorum extremorum solvere, et vigorem eorum reficere possunt. Quæ huic ufui inferviunt, ad quatuor capita referuntur, diluentia nimirum, sales neutrales, sudorifica et vomitoria, de quibus singulatim.

Omniùm diluentium, quibus sanguinis massa temperatur, aquam puram, quippe quæ pars maxima est eorum ex quibus hujusmodi remedia componuntur, huic consilio maximè idoneam esse constat.

Aquæ

Aquæ ufus olim multum invaluit apud medicos hispanos et italicos, qui eum diætam aqueam appellârunt; in eo per plures dies omnibus aliis remediis interdictis, religiosè perstabant: ad libras sex vel octo indies, plerumque frigidam, interdum verò tepidam dare solebant.

Hic medendi ufus, exemplis, ubi diathesis phlogistica invenitur, accommodatior est, quàm ubi magna debilitas urget; hæc enim, res quædam mediocriter nutrientes, cum aquâ commistas, postulat, qualia sunt hordei decoctum, aqua avenacea, serum lactis, atque alia hujusmodi.

Sales neutrales, quales sunt citris potassæ, fulphas potassæ, &c. sudorem lenem, et urinam, movent, sitim restinguunt, nauseam levant, alvum leniter laxant, et nimium corporis calorem temperant. Omnes ferè sales neutrales hominem ita afficiunt, optimi autem sunt citris potassæ, qui haustus effervescentes vulgò vocatur,

et

et acetis ammoniæ, vulgò spiritus Mindereri, feu aqua ammoniæ acetatæ.

Ubi nauseam, feu vomitum reprimendi consilio dantur, carbonas potassæ (qui vulgo sal tartari feu absinthii dicitur) rectè dilutus primò, deinde acidum quamprimum administrantur; acidum carbonicum, quod in putredine corrigendâ et vigore augendo insigni vi pollet, in ventriculo liberabitur.

Hi sales, humorum cursum ad corporis extrema urgendo, arteriarum extremarum spasmus tollunt, iisque robur addunt, ventriculumque ipsum, quòd consensus illi summus cum vasis extremis fit, magnoperè confirmant.

Quæ sudorem movent, vulgo fudorifica, quidam magni nominis medici in dubiis remediis habent.

Ubi

Ubi ad illa decurritur, sudatio præcipuè inducitur diluentibus et citridis potassæ haustu sæpius dato, ne corporis calor augeatur, interval-
lis idoneis, secundâ putà quâque horâ admi-
nistrato, sudorem enim remediis calefacientibus
elicitum haud parùm nocuisse constat.

Est autem medicus bonus in primis qui suda-
tionem plurimùm commendat *.

Quoties debilitas insignis fuerit, fugienda
sunt, me iudice, quotquot sudorem inducunt.
Cum autem parùm profint, nisi diu in eorum
usu perseveretur, si dari placeat, debilitas ne
superveniat, multâ sudatione profectâ caveatur
oportet.

Vomitoria spasmus vasorum extremorum
tollendo diù meritòque commendantur. Auc-
tor celeberrimus † plenâ vomitione sub primum

D

contagii

* Fordyce.

† Lind.

contagii impetum nascentem febrem amovant fuisse cognovit. Quæ autem ad febrem natam jam et confirmatam solvendam, vomitio frequens, non nimis laudatur, quòd ægri vires magnoperè frangat.

Vomitoria igitur dosibus nauseosis, eò quòd effectus magis durent, præcipuè commendantur.

Vomitoria autem optima sunt ipecacuanha et antimonii quædam præparata, quæ tamen, quoniam diarrhœam aliasque exinanitiones nimias faciant, viresque adeò magnoperè convellant, non nisi cautè admodum dari possunt, et vesperi paulò ante febris accessionem opportuniùs administrantur.

Quin et alia quoque remedia interna ad arteriarum extremarum spasmus solvendum, antispasmodica nimirum, à medicis dicta, aptissima habentur, est autem eorum usus admodum anceps.

Camphora

Camphora et moschus in regionibus calidis, ubi humores in putredinem tendunt, aliquid profuisse perhibentur; in hâc autem regione inutiles ferè sunt.

Opium quidè̃m convulsiones interdum tollit, tremoremque et infomniam, diarrhœam delirium et singultum mitigat, morbumque reddit plerumque mitiorem.

Alia quoque remedia, epispastica nimirum, tepidarium et fots, à viris celeberrimis haud scio an rectè laudantur.

Ad capitis, thoracis et ventriculi affectiones ubi sunt coma et delirium, levandas, vesicatoria præcipuè commendantur: capitis autem tonsura et lavatio frigida omnia bona ex illius exulceratione speranda afferent.

Vesicatoria quidè̃m ventriculo, nausæâ gravi, vel alio modo laboranti, interdum prodesse possunt

possunt, vim quoque vitæ sustinere videntur.

Sinapismi autem, corporis extremitatibus admoti, efficaciores videntur, et eò meliores sunt, quòd multò sæpiùs iterari possunt.

Jam ad alteram partem devenimus, quibus nimirum remediis debilitati ob stare, eamque amovere possimus.

Supereſt igitur, ut vim cordis et arteriarum remediis tonicis et stimulantibus pro virili augeamus. Hujusmodi autem remedia duorum generum sunt, frigus nimirum, et medicamenta tonica.

Frigus corpori admotum, et præsertim frigidarium vel frigidam lavationem, magnâ in corpore firmando vi pollere medicis persuasum jamdiu est, eamque sententiam experientia abundè confirmat.

Qui

Qui de genere humano optimè meritus est, vir egregius *, fructus frigidarios in carceribus, nosocomiis, et locis similibus, optimos futuros esse indicat.

Professor †, in prælectionibus eximiis, lavatione frigidâ delirium mitigari, eodemque remedio continuato, nonnunquam amoveri, confirmat.

Tonica ex frugibus derivata maximè utuntur, et cinchona officinalis omnium haud dubiè potentissima est ; medicorum autem spem fefellit, quòd, nauseam movere, et ventriculum gravare, soleat. Huic igitur, quanquam omninò experienda videtur, foli, fiducia adhibenda non est.

Stimulantia effectus eosdem, quos medicamenta tonica, edunt ; horum optimum videtur

* Howard's State of Prisons.

† Dr Gregory.

tur vinum ; quod si æger fastidiverit, alii liquores fermentati, vini etiam spiritus, aquâ dilutus, saccharo et acido citrico, ad gratum acorem additis, adhibeantur necesse est.

Ubi delirium ex debilitate pendet, vino tolli debet ; quod si è diathesi phlogisticâ, seu nimio vigore, oriatur, vinum est vitandum.

Idonea enim remedia sunt, quæ vim cordis et arteriarum minuunt, exinanitiones, sanguinis nimirum detractio et purgatio alvi.

Hæc autem in illâ febris varietate, quæ synochus dicitur, non sine magnâ prudentiâ adhiberi possunt.

Vina rubra, typho laborantibus aptiora sunt ; caveatur autem, ne ultra modum dentur ; quæ enim optima remedia sunt, fiunt abusu pessima.

Tertium

Tertium medendi consilium, humores nempe corrigere, ne in putredinem tendant, prævenire, tribus præcipuè rationibus absolvitur.

Quarum

1. Est cubiculi perflatus et munditiarum cura.

2. Excretionum promotio.

3. Materiæ corporis putridæ correctio.

Munditiæ et perflatus maximi momenti sunt. Proinde æger ex aëre impuro quamprimum amoveri debet; ubi verò hoc fieri nequit, in navibus, oppidis obsessis, et hujusmodi locis, ad suffitum decurratur, oportet.

Omniū suffiminum vapores nitrici à clarissimo viro * potentissimi habentur; quod si nitrum non parari possit, ex aceto vapores fiant.

Stragula

* Dr Carmichael Smyth.

Stragula autem lintea sæpe mutantur, necesse est, cubiculumque simul aëre libero perflatur.

Excretiones, enematis ex aquâ tepidâ vel anthemidis nobilis decocto factis, et præfertim libero diluentium usu, promoveantur.

Materia corporis putrida diluentibus antiseptis, acidis nimirum et præfertim acido carbonico, et salibus etiam neutralibus, corrigatur.

Dieta nutriens ex farraceis præcipuè parata præcipiatur; cibus enim ex carnibus in fermentationem putridam proclivior.

Sago, vinum, et jus cornu cervi gelatum, rectè laudantur; humorum autem proclivitati in putredinem maximè occurrunt. Remedia roborantia, quorum optima, cortex peruvianus, cortex cinchonæ officinalis, et frigus, præcipuè sunt.

Causæ

Causæ remotæ summâ curâ evitentur, exercitatio sit corporis modica, sub Jove locis siccis et apertis, frigidarium subinde adhibeantur; ægerque aliquandiu post febris decessum in corticis cinchonæ officinalis usu persistet.

Ante vero quàm orationis hujus, qualiscunque demum fuerit, finem faciam, de morbi reditu occurrendo, pauca subjiciam:

Quæ autem medico imprimis necessaria sunt, convalescentem firmare, quid vitandum, quid faciendum monere his nimirum et aliis quod in morbum rursus incidisse longè periculosissimum sit, danda opera studiosè est.

Valetudo autem sustentatur (ut est apud Ciceronem) notitiâ corporis ægri, et observatione earum rerum, quæ aut prodesse solent, aut obesse, et continentia in victu omni, et prætermittendis voluptatibus. Quæ enim eleganter (ut solet) et breviter scripsit, vir eminentissimus,

tissimus, omnino gravissima sunt, et ad rem nostram accommodatissima; frustra autem est quòd medicus elaboraverit, nisi sit in convalescente cura.

Proinde vitanda sunt loca clausa et angusta, aëre aut fordibus vitiosa : ignavia porrò ac labor nimius, cæli humor et contagium, quæ omnia corpus ægrum defatigatumque relinquere, morbum autem inducere solent.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 15. lin. 15. *Pro* et typhi φαivόμενων magna ex parte similem,
lege et quæ typhi φαivόμενων magna ex parte
similis erat.

- | | |
|-----|--|
| 16. | 9. <i>Pro</i> ededit, <i>lege</i> edidit. |
| 18. | 3. <i>Pro</i> concitare, <i>lege</i> inducere. |
| 19. | 17. <i>Pro</i> nomini, <i>lege</i> nomine. |
| 15. | 10. <i>Pro</i> inducunt, <i>lege</i> inducant. |

